



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 32. De verbo mentis, ad tex. eundem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

2. ma connexio hæc est. Firmior altera, quæ omnium particularium est cum vniuersa natura. Huic inductio innitur; quæ ex indiuiduis omnibus cõmemoratis vniuersa colligitur propositio; huicque principio innitur; Quod singulis indiuiduis conuenit, omnibus item simul sumptis conuenit. Tertia connexio duorum est, quæ seipsis coniunguntur, vt effectus & causa, vel vt particulare & vniuersum. Quæ vt variæ connexiones esse possunt, ita variis principiis nititur: qualia sunt hæc: Posita causa ponitur effectus, Posito particulari ponitur vniuersum, & similia; quibus tertia constat ratiocinationis species, enthymema ex vna propositione aliam colligens; vt homo est animal, ergo est sentiens.

3. Quarta est connexio duorum per aliud tertium; vt quia effectus est cum sua causa coniunctus, si causa fuerit cum alio coniuncta, effectus quoque per causam dicitur cum illo coniunctus. Quæ item connexio cum diuersarum rerum esse possit, diuersis quoque principiis nititur. Atque hinc quarta exiit ratiocinationis species omnium perfectissima, in qua ex duabus propositionibus opportunè dispositis tertia deducitur, quæ conclusio vocatur. Proptereaque in primo libro de priori analysi cap. 1. definitur esse oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necessarid sequitur, eo quod hæc sint: vt homo est animal, animal est sentiens, homo igitur est sentiens. Ex duabus enim præmissis propositionibus tanquam veris, & figura modoque conuenienter dispositis, conclusio ab illis diuersa colligitur; præmissarum scilicet, & earum dispositionis virtute.

Conclusio an ratiocinationis pars.

Quo loco disputantur permularum ea, quæ colligitur, conclusio, ratiocinationis pars sit necne. Sed adhibenda distinctio est. Etenim si ratiocinatio sumatur, vt integram ratiocinantis intellectus operationem à cæteris distinctam significat; omnino illius pars est conclusio quoque. Quippè duas amplectitur partes; antecedentem & consequentem, præmissas & conclusionem, notum & ignotum, quod ex noto deducitur. Nam vt secunda operatio simplicibus duabus notionibus, attributi & subiecti, compositione seu copula iunctis constat; formaque est compositio seu copula, & materia simplices notiones aut termini: sic in tertia deductio est forma, & materia sunt antecedens & consequens, præmissæ & conclusio, notum atque ignotum, secundæque operationis compositiones, quarum vna ex aliis deducitur: hocque ratiocinatio significat, transitum ex vno ad aliud.

Sin autem ratiocinatio consideretur vt est quasi via & progressio ad ignotum aliquid inuestigandum, seu instrumentum cognoscendi, intellectusque ratiocinantis atque vnum ex alio colligentis; secus omnino sentiendum fuerit. Est enim quasi motus quidam ad conclusionem & instrumentum eam producens; conclusioque velut terminus motus & effectus causa ac instrumenti. Tribusque duntaxat terminis opportunè dispositis constat; quæ dispositio tota antecedentibus propositionibus continetur: quare & ratiocinationibus diuersis eadem colligi conclusio potest. Itaque duobus modis in tertia operatione ratiocinatio fuerit: tum vt deductionem

A significat vnius ex alio, quæ antecedente & consequente constat: tum vt sola est inuestigatio & motus ad inquirendam veritatem. Quæ inuestigatio & motus solis antecedentibus præmissis continetur. Atque hæc nunc peripateticis indicasse satis.

Digressio xxxii. De verbo mentis.

I Am verò in Scholis nostrorum Theologorum, qui considerantur pleræque diligentius & subtilius disputant, magnopere quæri video.

B Num intellectus actione producatur quidpiam ab intellectu distinctum. Verbum enim mentis nominant omnes; sed quid illud sit, non omnes consentiunt. Aurelous testimonio Capreoli in primum sententiarum librum dist. 27. nil aliud esse voluit, quàm ipsum obiectum cognitum, vel vt apparet atque relucet in intellectu. Alij apud Durandum & Scotum ipsammet intellectilem speciem representantem obiectum. Sanctus Thomas tum prima parte summae, quæst. 27. & 34. tum in quæst. 4. de veritate & primo libro contra Gentes cap. 51. & lib. 4. cap. 11. & deinceps, & in commentariis ad primum caput Ioan. & alijs in locis, & post eum Egidius, Heruæus, Caietanus, Capreolus, & Ferrariensis, aliquid aliud velut intellectiois terminum re ab ea distinctum; ceu illius partem, quo res intellecta representetur tanquam expressa illius imagine per intellectioem producta.

Verbum mentis quid.

Sed omnium probabilissima sententia est nil aliud, quàm actuale intellectioem seu notitiam, esse. Nam si obiectum ipsum esse dicatur, constat non esse secundum suum esse reale: vt autem cognitum est vel relucens, aut hoc nihil est, nisi vanum & fictum; aut aliud nihil, quàm obiectum ipsum intellectui obiecti. At hoc dici non debet verbum: tum quia verbum mentis quidpiam ab intellectu productum atque à dicente probatum significat: tum quia ad verbum spectat vt representatiuum sit rei; obiectumque illud representatiuum non est, sed representatum. Aut siquid aliud sit; vel species fuerit, vel aliquid intellectu productum, vel actualis ipsa notitia. Species esse non potest: tum quia tunc solum adest verbum, quando intellectio adest; species autem: licet nihil intelligas, vt in somno, adesse creditur: tum quia species intellectioem & idem verbi quoque formationem antecedit. Vt species eas mittam, non ab omnibus suscipi, qui tamen verbum mentis admittunt. Non esse autem intellectu productum, omnis philosophorum schola docebit, quæ intellectuem ostendit immanentem actionem esse, omni termino à se distincto carentem; vt in tex. 16. libri 9. Metaph. docuit Aristoteles. Quam ob causam nec sensum, nec voluntatem dicimus eiusmodi quidpiam agere producere. Etsi enim in intellectu & voluntate crebris actionibus habitus producatur, ex tamen velut dispositiones solum sunt antecedentes, determinationesque facultatis, quæ producit habitum. Deinde vt actio qualibet est idem re cum suo termino, sic intellectio est idem cum verbo, neque potest

Esse in intellectu actionem actualem.

E

verbum ab intellectu separari. Tum verò id, quòd immediatè intellectu intelligitur, obiectum ipsam est secundum esse reale; non igitur datur verbum ab obiecto & intellectu distinctum, quod primum terminet intellectiōnem. Alioqui duo essent, quæ intelligerentur, verbum & obiectum; quæ nequaquam intellectus distinguit, cum tamen distinguenda forent: tum quia duo essent obiecta: tum quia intuitu & cognitione clarissima verbum, abstractione obiectum cognoscerentur. Præterea dum huiusmodi verbum intellectu produci dicunt, intellectiōnem fatentur verbo priorem esse, postquæ obiectum per se absque verbo intelligi: quippè verbum ex intellectu obiecti produciunt. Superuacua igitur est hæc noua entitas, quæ nec est intelligendo necessaria, nec intellectu cessante conservari in intellectu debet. Ita conficimus verbum mentis nil esse aliud, quàm actualem ipsam intellectuōnem.

Et quoniam de hæc inter Theologos maximè disputari dixi; vitio mihi vertendum non fuerit, si ex Theologorum potius, quàm Philosophorum fontibus probationem duxero. Sanè sanctus Irenæus in libro secundo aduersus hæreses cap. 48. & 49. Verbum seu λόγος Dei scripsit cogitationem ipsius esse; & sanctus Athanasius in oratione contra Gregales Sabellij verbum nostrum subsistens non esse, sed viui duntaxat & subsistentis pectoris motum; & Dionysius Alexandrinus apud eum in epist. de sententia ipsius, esse promanationem mentis; Et sanctus Basilius in hom. 16. ad populum, vt verbū prolatum diceret expressiuum atque exemplar verbi mentis; Quæ, inquit, secundum cor nouimus; hæc verbo proferimus; & quod loquimur, exemplar habet eius, quod corde cogitamus: quasi diceret verbum mentis nil esse aliud, quàm interiorem notitiam actualemque cogitationem. Addit filium Dei vocari verbum, vt incompatibilis ostendatur generatio patris; sicut verbum nostrum, mentis generatio, sine passione generatur. Si ergò vox hæc (verbum) ipsam patris generationem significat, atque in nobis ipsa est mentis generatio; nil aliud profectò, quàm actualis intellectio, erit. Et sanctus Ambrosius in quarto libro de fide cap. 4. verbum, inquit, mentis est sicut prolatus sermo: quod ex Plotino quoque Alexandrinus habet Cyrillus in 8. lib. contra Iulianum. Immo Cyrillus hic ipse in primo libro thesauri cap. 7. idem esse dixit; et si aliud esse videatur, quatenus è profundo in lucem per os emittitur. At prolatus sermo seu prolatum verbum nil aliud est, quàm actualis pronuntiatio, quæ post se nihil relinquit: nec mentis igitur verbum aliud est, quàm actualis cogitatio interiorque loquutio. Idem Cyrillus ita verbi generationem explicauit: Patris, inquit, mens hominis cogitationes bonas, vt Saluator dicit, de corde exeunt cogitationes: mentis igitur verbum nil aliud, quàm actualis cogitatio, est. Et libro sexto capite primo, & libro septimo capite tertio, hoc interesse ait inter verbum nostrum & verbum Dei; quòd nostrum non per se subsistat, sed dictum protinus euanescat; verbum autem Dei non item. Vis igitur & natura verbi est dicere actuale, siue mente, siue re. Sanctus quoque

A Augustinus in libro 9. de Trinitate cap. 7. & 11. verbum scriptis conceptam esse rei notitiam, cui similem quasi alterum verbum vocibus ac signis externis in audientis item animo ingenerare conamur. Et lib. 11. cap. 2. 3. & 4. exponens quomodo vel etiam in sensu quoddam sitissimè Trinitatis vestigium; non solum, inquit mentem nostram concipere in se reum, quas intelligit, similitudinem, quam appellamus verbum: sed visum quoque, dum videt quidpiam, similitudinem illius quamdam in se formare, hancque visionem ipsam esse. At quod est in visu visio, hoc est intellectio in mente, quare vt visio in sensu visæ rei similitudo est, sic actualis intellectio in intellectu verbum erit, quo intellecti obiecti similitudo continetur. Rursum in libro 15. capite 10. eandem hanc sententiam non solum posuit, sed etiam visus est sacris litteris confirmare. In libro namque Sapientie capite 2. Dixerunt apud se cogitantes non redè. Nam quia verbum ordinem significat ad dicentem, estque dicentis verbum; dum ita exponitur quid sit illud (dixerunt apud se) vt addatur (cogitantes) dicentis verbum significatur nil esse aliud, quàm actualem ipsius cogitationem. Similis locus est apud sanctum Mattheum cap. 9. quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphemus. Verbum autem illud, quod dixerunt nil aliud, quàm cogitationem, fuisse statim exponitur. & cum vidisset, inquit, cogitationes eorum, id est eum verbum illud audisset, quod intra se dixerunt. Sic enim exponendum hoc esse confirmat sanctus Lucas; qui cap. 5. eandem historiam narrans, Christum ait illis respondisse. Nullus namque respondet, nisi loquentis; nec loquitur vllus, nisi per verbum. Si ergò cogitationibus respondit, cogitationes ipse sunt verba. Propterea aduertitur etiam ab Augustino verbis illis Matth. 15. non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore; duplex hominis os significari; corporis vnus exterius, alterum interius animi. Quibus item duplex responderet verbum; exterius vnus, quod pronunciatum sonat in aure; alterum interius, quod cogitatur in mente; nilque aliud esse quàm cogitationem; ostendit illud, quod sequitur; De corde enim exeunt cogitationes, &c. Quocirca ita concludit Augustinus; formata quippè cogitatio ab ea re, quàm scimus verbum est, quod in corde dicimus; quod nec Græcum, est nec Latinum, nec lingua alterius alterius: sed cum id opus est in eorum, quibus loquimur, proferre notitiam; aliquod signum, quo significetur, assumitur. Et rursum in capite vndecimo verbum ait esse notitiam. Et cap. 12. cogitationem de scientia rei formatam. Et iterum esse visionem illam interioris cogitationis; quæ & ex rebus sensu perceptis oritur & lingua verbo exprimitur. Et cap. 14. verbum id esse, quod intris dicimus: dicimus autem actuali cogitatione, sicut exterius vocis pronunciatione loquimur. Et cap. 15. cum dubitamus, inquit, nondum est verbum de re, de qua dubitamus. Sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamuis enim non nouerimus, an verum sit vnde dubitamus, dubitare tamen nos nouimus: ac

per hoc cum hoc dicimus, verum verbum est; quoniam quod nouimus, decimus. Mendacium quoque addit esse verum verbis; quia hoc scimus. Ac demum apertissimis verbis exponit nil aliud, quam ipsam cogitationem esse: quam dum explicat, quomodo verbum in Deo sit sempiternum, & non in nobis; quoniam in eo non est volubilis & mutabilis cogitatio, sicut in nobis: nosque cum actu non cogitamus, verbum actu non habemus, sed habere possumus, quia possumus cogitare: Quid est, inquit, hoc formabile nondumque formatum, nisi quiddam mentis nostrae, quod hac atque hac volubili quadam motione iactamus; cum à nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inuentum fuerit & occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verbum verum, quando ita ut res est cogitatur. Est etiam apertissimus locus in cap. 16. ubi verbum Dei docet ita dici verbum ut tamen cogitatio dici non debeat, ne volubile aliquid credatur esse in Deo. In nobis verò cogitationem quoque dici. Et quamlibet quidem cogitationem dici verbum, sed verbum verum esse cogitationem peruenientem ad id, quod scimus, indeque formatam. Propterea idem sanctus Augustinus, & Beda in commentariis Psalmi 44. verbum mentis vocant consilium, quia nil aliud est, quam ipsius cogitatio. Et sanctus Ioannes Damascenus lib. 1. de fide cap. 18. verbum esse mentis nostrae intellectionem ab ea naturaliter prodeuntem. Et Vgo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 3. cap. 20. esse cogitationem nostram internam. Ac demum sanctus Anselmus in Monologio cap. 28. & 29. diuinum verbum ostendit nil esse aliud, quam intellectionem seu loquutionem patris: qui loquendi modus Augustini quoque fuit ac ferè sanctorum patrum.

Verbi
conditio
nes.

Ergo quamlibet quidem intellectio mentis potest dici verbum; sed perfectum verbum perfectam significat & distinctam intellectionem seu cogitationem inquisitione ac ratiocinatione comparatam. Quod ita esse, primum argumento sunt ea, quae contra aliorum sententias paulò ante fuere proposita: praesertim quòd intellectio sit immanens actio, quae nihil à se distinctum afferat. Deinde quòd intellectio cogitationis conditiones omnes verbi, quae commemorari solent, verè conueniunt. Eae sunt; ut aliquid sit in mente; ut sit ad modum concepti & factus ipsius mentis; ut similitudinem habeat cum re, cuius est verbum; ut exprimat id, cuius imago est. Tum verò certum est, externum oris verbum significare internum illud mentis; eoque nos ut exterius loquamur id alijs, quod ipsi nobis interius mentis verbo loquuti sumus. Atqui voces notionum animi sunt immediatè signa, notitiaque & actuales cogitationes ostendunt: nihil igitur aliud fuerit mentis verbum, quam actualis rei notitia cogitatio. Et qui verbum à cogitatione diuersum posuerunt, duas ab causis posuerunt. Altera fuit, ut obiectum esset accommodatum ad mentem. Altera, ut mens quoquo modo praesens haberet obiectum; quod re ipsa praesens esse non potest. At si haec quidquam haberent ponderis, haberent in omni intellectione: nullum autem habent in intellectione, qua Deus, se-

A paratae mètes, & anima nostra, intelligunt sepsat & beatos, qui Deum vident, huiusmodi verbum non producere, theologo omnes fatentur. Denique illud est efficax planè argumentum, quòd idèò verbum hoc ponitur à sancto Thoma, ut intelligere mens possit: at intelligendo dicitur producere verbum: prius igitur est intelligere, quam verbum; neque verbum est intelligendo necessarium. Cumque intellectio assimilatione constet, & viua sit intellectus rei similitudo atque imago: superuacaneè verbum illud cogitatur ab intellectione distinctum consequenque intellectione: quippe ad eam terminandam satis est obiectum ipsum, actualisque intellectionis terminus est.

B Hanc porò actualem intellectionem seu notitiam sunt qui duobus modis considerandam proponant. Primum ut actio quaedam est: quo modo intellectio dicatur & sit ipsa notitia actiua. Deinde ut refert obiectum, velut illius similitudo & similitudo. Omnis enim cognitio quaedam est cognita rei similitudo: atque hoc modo ipsamet actualis notitia passiva seu intellectio, ut obiectum refert tanquam illius similitudo, appelletur verbum. Quam distinctionem ego quidem veram ac scienter pronuntiatam esse confirmo: arbitror tamen propriam non ostendere vim verbi, quae ordinem ad dicentem significat. Omne quippe verbum est dicentis verbum. Quocirca propria verbi vis ex dicente considerari debet; eodemque modo ab intellectione distingui verbum quo mentale dicere, seu dicendo proferre, distinguitur ab intelligere. Haec autem si non re, certè ratione distingui, consentiunt omnes. Tum quia mentalis loquutio diuiniorem, quam simplex rei perceptio operationis significat. Vnde Platonis illud in Alcibiade 2. & Aristotelis in primo Metaph. libro Scientis signum est posse docere. Tum quia intellectio quasi quidam mentis conceptus est, sitque ad modum concipientis in se rem cognitam. Loquutio verò partus quidam in altero. Nam ut intellectio rem intellectam ponit in intelligente; sic loquutio in audiente altero eam transfert. Et idèò loquutio est inter duos; atque in loquutione mentali, qua idem loquitur sibi ipsi, idem duorum, loquentis & audientis, vicem sustinet. In mentibus autem separatis non solum simplex est rei perceptio in seipsis, quam significat intellectio; sed mutua quoque loquutio: & omnino visio ab auditione distinguitur. Atque in Deo tum intellectio agnoscitur, tum loquutio: siquidè & seipsum intelligit, & intelligendo loquitur verbum; & intellectio quidem diuinis omnibus personis communis est, loquutio verò solius patris propria. Denique intellectio immediatè fertur in obiectum, solamque illius perceptionem significat; loquutio illius obiecti cogniti expressio est per intellectionis manifestationem: quare ut loquutio cognitionem sequitur, ita dicere seu formare verbum de ratione intellectionis non est. Ut non sit mirum, si loquutio in diuinis ab intellectione separaretur, dum personae omnes intelligunt, solusque pater dicit aut loquitur. Solus

Intellectio
actiua
verbum
intelligere
re à dicente
differt.

RRRR

quippè ita intelligit, vt intellectiōnem exprimat; A
ideoque solus generat.

*Verbum
ut ab in
tellectio
ne diffin
guatur.*

Ex his iam intelliges, Primò, quemadmodum
verbum ab intellectuone vniuersè sumpta distin
guas. Intellectio enim, vt est intellectio, nudam
dicit cognitionem rei in ipso intelligente; ver
bum autem expressionem intellectiōnis signifi
cat; non vt est actio, sed vt notitia rei; seu intel
lectionem vt expressam notitiam; nec solum
conceptam, sed & partam. Quæ est causa, cur
omne verbum sit dicentis aut loquentis cuius
piam verbum: quoniam dicere aut loqui nil
aliud est, quàm intellectiōnem exprimere: quæ
expressio quasi partus intellectus existit. Ita ver
bum partus mentis & proles vocatur; quam ex
fecundâ memoria provenire S. Augustinus dixit.

*Verbum
simula
chrum
rei.*

Secundò hinc etiam est, quòd verbum ve
lut simulachrum & similitudo sit rem eam refe
rens, cuius est verbum. Nam quia est ipsamet
intellectio expressa; illiusque intellectiōnis par
tus, quæ fuit intelligendo concepta; sicut in
tellectio similis est rei conceptæ, sic verbum
quoque producitur simile.

*Verbum
notrium
est non
purum.*

Tertio intelligas mirum non esse, si nullum
mentale verbum in nobis omnino sit purum &
immateriale. Nihil enim nisi ex phantasmate ali
quo haustum intelligimus, dumque minùs pura
& sincera est intellectio, purum & sincerum esse
non potest illud verbum, quod intellectiōnem
dicendo exprimit. Et quia dictio seu loquutio
interior exteriorem totam dictionem ac loqu
tionem moderatur & dirigit; vt mentis verbum
expressiuium intellectiōni simile est, sic verbum
oris externum interno mentis verbo formatur
simile: & vt hoc purum omnino & sincerum non
est, neque satis rem assequitur, cuius est verbum;
ita nec illud plerumque satis verbum mētis imi
tatur. Neque satis perfectè & clarè possumus aliis
per externa verba conceptiones & animi nostri
partus proponere: multoque felicitiùs & clariùs
interius loquimur verbis nobis ipsis, quàm exter
nis possumus aliis eloqui. Eandem ob causam
non dicam de Deo, sed nec de cæteris mentibus
separatis accommodatè licet, ac pro dignitate lo
qui; nec nobis ipsis, nec aliis. Quòd & mentis
verbum à perfectâ deficiat obiecti similitudine,
& oris verbum minùs verbū mentis assequatur.

*Loqua
tio in
angelis
& Deo.*

Quartò in intelligente omni natura dictionem
seu loquutionem & verbum reperiri; & verò
etiam in angelis & Deo: & quidem puriùs mul
tò & distinctiùs, quàm in nobis. Nam si dicere
& loqui est exprimere & proferre intellectiōnem,
verbumque ipsa est intellectio expressa; quæ
cumque natura intelligere potest, potest & dice
re, loqui, & formare verbum. Quæque perfe
ctiorem habet intelligendi vim, perfectiùs lo
quitur & format verbum. Angeli cum sint sine
materia; vt purissimi intelligunt, sic purissimum
formant verbum, cumque summa claritate lo
quuntur; tum sibi ipsis, tum aliis Angelis, si suas
ad illos intellectiōnes ordinent, iisque manife
stari velint. In Deo quoque si est intellectio, quia
perfectiōnem significat; loquutio quoque fuerit,
quæ intellectiōnis perfectio est. Atque in hac lo
quutione intellectiōnisque expressione fecunditas
est & productio verbi, quod filius est, & pa
tris proles.

Quintò verbum significare aliquid absolutum,

intellectiōnem expressam: sed cum duplici rela
tione; vna ad dicentem tanquam ad causam: & alia
idè est realis relatio, quia est relatio effectus ad
causam. Altera ad rem, quam significat, quæ
per verbum dicitur: quæ relatio rationis est, si
gni ad rem, quam significat.

Sextò non solum externum oris verbum, sed
mentis quoque internum propriè dici verbum
quemadmodum in mente item est propriè dice
re & loqui: vbi autem est dicere & loqui, est
etiam verbum. Hocque in diuinis manifestum
est; vbi diuinum verbum, vt propriè dicitur fi
lius, ita propriè verbum: neque hoc, vt in quest.
34. notata art. 1. adnotauit sanctus Thomas, ab
que Arianismi crimine negari potest.

Septimò, quid de voluntate & sensu dicen
dum sit. Nam etsi in voluntate item dum sanctus
Thomas, in quest. 27. notata art. 3. produci ait
amore, Caietanus terminum intellexit ab
lius actione distinctum: & Henricus produci di
xerit zelum. Veritùs tamen placuit cæteris nihil
præter ipsius actionem produci. Quod ex his, quæ
de intellectu dicta sunt, satis cognoscitur. Et
quod spectat ad sanctum Thomam, nil aliud is
produci dixit, quàm in amante amore. Et quest.
4. de veritate art. 7. dum ad septimum argumentū
respondit, apertis verbis negauit quidquam à vo
luntate præter eius actionem produci: hocque
inter eam & intellectum interesse; quòd intel
lectio intrinsecum habeat terminum, verbum,
quod is voluit esse ab intellectu distinctum;
volitio autè seu amor nō nisi extrinsecū, sē volitū
seu amatam. Denique sensum constat nil aliud
sentiendo, quàm sensiōnis actum, producere.

Octauò, parum accommodatè Scotum intel
lectionem & dictionem ita distinctisse, vt diuer
sos actus significarint: neque intellectio esse
actio, sed qualitas in intellectu; dictio autem
actio, nempe intellectiōnis productio: quare ver
bum non intellectiōne, sed dictione produci vo
luit. Ostensum namque iam est dictionem so
lum significare intellectiōnis perfectiōnem, so
lâque ratione ab ea distingui. Deinde intelligi
omnino non potest dictionem seu loquutionem
an tecedere intellectiōnem. Tum quia concipi
nequit intellectiōnem produci actione, quæ non
sit formaliter intellectio: neque aliud est intel
lectiōnem promere, quàm intelligere; sicut promere
actionem nil aliud est, quàm agere. Tum quia in
telligi item non potest, quempiam priùs dicere
aut loqui quàm is intelligat: siquidem & dicere
& loqui, vt in loquutione vocali, sic & in men
tali nil aliud sit, quàm id exprimere, quod intel
lexeris: & vt externa loquutione loquitur nul
lus, nisi priùs mente conceperit id, quod loquitur:
ita etiam in interna: tantum abest, vt in
tellectiōnem loquutio præcedat. Præterea com
munis est omnium cōceptio, intellectiōnem im
mediatè in obiectum ferri eiusque perceptionem
& comprehensionem significare: dictionem au
tem in intellectiōnem tendere ad modum reflexi
actus, ipsam exprimendo. Postremò in Deo
certum est hæc duo ratione solum distingui;
eundemque actum vt apprehendit obiectum, in
tellectiōnem dici, atque vt exprimit intellectiōnem
producendo terminum, dictionem appellari.

Nondè & vltimò, diuinum verbum formaliter
intellectiōne produci; nō vt idè Scotus credit, produci
actione

Dante Alighieri

pterea continuum habere partes dicitur extra partes; non quod actu habeat, sed quod extensa quantitate constet, quæ diuisa multas actu partes efficere potest; & interim in ipso continuo vnâ partem extra aliam assignare atque ostendere licet.

Continuum ut partibile vel impartibile.

Continuum ut intelligitur.

Atque hoc demum est, quod nunc philosophus impartibile dicit duobus modis appellari; aut potestate, aut actu. Namque continuum actu impartibile est, quia vnum, vnumque vt vnum impartibile est. Partibile tamen potestate, quia diuidi partes in multas potest. Quare cum intellectus continuum vt vnum & copulatum intelligit, impartibile intelligit. Sed simplex notio aut terminus, de quo in tex. 21. loquebatur, impartibilis est & actu & potestate; continuum autem impartibile actu, partibile potestate. Et altero modo intellectus intelligit impartibile simpliciter, altero id quod est ex parte.

Longitudinem exemplum profert, tanquam primam & simplicissimam continui speciem maxime impartibilem; cum vnâcam habeat extensionem. Verum de latitudine & profunditate idem intelligas; est altera duplici, altera triplici extensione constet. Quare longitudo vnico modo potestate partibilis est, latitudo duplici, profunditas triplici.

Neque verò audiendus Philoponus est, cum impartibile quidem actu, continuum dicit, sed impartibile potestate aquam aut huiusmodi corpora fluida; quæ solidiore incidente corpore diuiduntur, eo que submoto coalescunt & impartibilia sunt vt continuum. Aut eum impartibile duobus modis dici, interpretatur non significare solum duplicem vocis acceptionem; sed etiam eius, quod impartibile est, in duas partes diuisionem. Nam quod ad primum attinet, vt sit subtiliter excogitatum, non consuevit tamen Aristoteles eo modo & potestatem & actum dicere; sed vtrumque perpetuò de eadem re; vt illa ipsa & actu & potestate considerari possit. Ita potius hoc ipso loco credendum est eum dixisse intellectum intelligendo continuum intelligere impartibile; quia etsi potestate partibile sit, actu tamen est impartibile. Quod si de rebus diuersis accipienda hæc essent; mallem aut eum Themistio impartibile actu continuum dicere, quod actu vnum & indiuisum sit: impartibile verò potestate immateriales formas & punctum, quæ ita vna sunt & indiuisa, vt nec diuisa sint, nec diuidi queant, quod nullas habeant partes. Quippe de puncto quoque post dicit, vbi de continuo dixerit. Aut simplices notiones & terminos, quos in tex. 21. absolute & simpliciter impartibiles nominauit; Simplicitusq; impartibilia formalia nuncupat. Impartibile verò duobus modis dici, hoc est in duas partes continuum diuidi, dura prorsus interpretatio est: præsertim vbi ab ipso met philosopho exponitur id, quod dicitur. Sed nec in duas, sed in plures & quotquot libuerit partes diuiduum continuum est.

Dialecticis

TEXTVS.

Kai to xetio adhaerere cuiusque xetio dicitur, xai adhaerere to xetio.

Et in impartibili tempore. Perinde nanque ac longitudo, partibile ac impartibile tempus.

COMMENTARIVS CVII.

Intellectus impartibile intelligit, cum continuum intelligit; quia continuum est impartibile actu; docendum quoque fuit, quemadmodum intelligatur. Sanè hoc præcipue nunc agitur. Sed illud etiam ni fallor, vt quoniam duplex continuum est, vnum permanens, alterum succedens; propositam propositionem exponat non ad permanens modò, sed ad succedens quoque continuum pertinere; perindeque impartibile intelligi, dum intelligitur tempus, ac si longitudo continua permanens intelligatur, latitudo quoque & profunditas. Itaque illud (perinde namque ac longitudo, partibile & impartibile tempus) duplicis conclusionis rationem continet aquarum altera est, impartibile intelligi cum intelligitur tempus; altera, continuum tempore impartibili intelligi. Vtriusque ratio est; quia cum tempus perinde ac longitudo continua, quantitas sit; perinde de illo partibile & impartibile dicuntur. Est igitur tempus potestate partibile, actu impartibile; cumque intelligitur tempus, impartibile intelligitur continuum impartibile actu, in impartibili quoque intelligitur tempore.

Certè in textu 70. libri 3. Physic. & tex. 99. & 113. lib. 4. continuum traditum est in esse magnitudini, motui & tempori; sed magnitudinem primam, deinde motui, qui aut magnitudinis est, aut super magnitudinem sit; tum demum tempori, quod consequitur motum. Quia enim magnitudo est continua, continuus est & cum successione motus; & quia motus, ideo & tempus. Cōtinuitas magnitudinis permanens est, cōtinuitas motus & temporis succedens: hæc ex illa ortum habet, & ideo per prius & posterius dicitur. Imò in tex. 18. libri 3. Metaph. motum & tempus non dubitauit philosophus affirmare quantum & continua ex accidenti esse; quod eorum quantitas & cōtinuitas ex magnitudine oriatur. Idem de impartibilibus intelligas, quæ in cōtinuo considerantur. Quemadmodum enim se habet punctus in longitudine, linea in superficie, & superficies in profunditate; ita se habent mutuum esse in motu & momentum in tempore. Magnitudo sola & tempus hoc loco commemorantur, prætermittitur motus: tum quia intellectio neque motus est, neque cum motu perficitur: tum quia motus cōtinuitatem à tempore distinctam non habet: nec nisi vnica est quantitas successiua, que est in tempore oriatur ex motu; tempore

vnū actū, ita plures intellectiōnes sunt, momen-
tanea & indiuidua vnaqueque. Denique dum
tertio modo, intellectiōne quidem vna, sed tem-
poranea & quæ pluribus copulatis partibus con-
sistet: quemadmodum continuū intelligitur actū
copulatum, potestate diuiduum, sic intelligen-
da rei vndiq; intellectiō & tempus respondent.

A hæc speciei. Itaque in impartibili tempore &
impartibili anime intelligitur vtraque: hoc est cum
temporis momento, tum intellectiōne substantia &
indiuidua. Neque enim audiendi sunt Philo-
ponus & sanctus Thomas, vbi anime impartibile
facultatem anime, id est intellectum interpre-
tantur. Quippe vbi de intelligendo agitur, ma-
nifestum est de intellectu agi: dubium verò qua-
linam eius intellectiōne intelligatur; nec qua-
rebat quæ facultate, sed quali actione intelligen-
mus. In epistola fuisse responso, intellectum nos
intelligere. Sed etiam in superioribus de actione
semper, non de facultate fuit sermo: omni-
umque laboraret oratio, si impartibilis vocem
alio nunc vsurparet modo. Anima igitur im-
partibili, hoc est impartibili intellectiōne intelli-
git. Nam nec hominis nec animalis vnā
partem prius, aliam posterius, sed totam
simul & vt totum quidpiam & vnum, siue ex
materia & forma, siue ex genere & differentia,
confectum intelligimus: neque cum voce, quæ
per syllabas cunctatim pronuntiat, extenditur
intellectio. Itaque formæ nomen cuiusque rei
essentiam & naturam significabit, vel etiam do-
mus ac cæterorum quæ arte constant.

Neque in rebus continuis modo, sed & in im-
partibili & numero; vt verè Themistius acmo-
nuit. Etsi enim plures sint vnitates deinde & partes
separatae, quæ per partes, & cum tempore intel-
ligantur, si seorsum singulæ percipiuntur: omni-
tamen omnes in vnâ numeri formam intelli-
guntur, quæ binarius, ternarius, cæteraque nu-
merorum species constant, considerantur; sanè
vt aliarum rerum species, sic hæc impartibili tem-
pore & actione comprehenduntur.

Quod si forma nomine non speciem & natu-
ram integram, sed formam solam naturæ que cõ-
positæ partem intelligas; nã hæc ipsa quoque
temporis momento & actione indiuidua intelli-
gitur. Omnis enim forma per se considerata im-
partibilis est: & vt immateriales & spirituales for-
mæ; ita & hæc, quæ materiales maximè sunt (si-
ue substantiæ formæ sunt, siue accidentium) si
mente separentur à materia, cuius quantitate ex-
tenduntur, ac per se solæ accipiuntur, impartibi-
les sunt. Quantitas extensio est, propriaque ma-
teriæ affectio: itaque materia per se quanta est &
extensa; formæ ex materiæ potestate eductæ, et
accidenti euadunt quanta, dum vnâ earum pars
ex vnâ, alia ex alia materiæ parte educitur in-
que sustentatur, separet à materia; quantitate
omnem, extensionem & partibilitatem amittunt.

E Verùm enim verò siue speciem siue formam
interpreteris, argumentum à minori ad maius
in his verbis agnoscas. Si enim quantum conti-
num, dum consideratur vt vnum, momento &
indiuidua actione intelligitur; multo magis in-
telligitur impartibile illud, quod sua natura qua-
ntitatis omnis & extensionis est expertus. Postero-
rem tamen interpretationem duo confirmant.
Alterum, quod cum in superiori impartibilis ac-
ceptione de continuo dixit philosophus, simul
etiam de materia dixisse videtur, quæ per se
quanta est & continua; eodemque modo desi-
nuisse materiã intelligi; quo intelligitur conti-
nua quãtitas. Quare de forma, quæ non per se, sed
aut

TEXTVS.

Τὸ δὲ μὴ ἔχει πρὸς ἀδιαιρέτως, ἀλλὰ τῷ εἶδη, οὐκ ἔστι
ἀδιαιρέτως ἔχει, καὶ ἀδιαιρέτως ἔχει.

Tex. 24 Quod autem non quantitate impartibile, sed forma;
in impartibili tempore intelligit & impartibili anime.

COMMENTARIVS CLXIX.

Pvat Simplicius impartibile in quantitate,
de quo in superiori textu actum est, com-
parari nunc cum impartibili illo, de quo in
textu 21. quod est impartibile formale & ab-
stractum (hoc enim nunc impartibile formæ
interpretatur) atque alterius ab altero discrimen ostendit. Alterum namque actu est im-
partibile, potestate partibile: alterum tum actu,
tum potestate impartibile. Illud momento tem-
poris intelligitur, sicut impartibile actu; aut
diuiduo tempore, sicut potestate partibile con-
sideretur. Hoc verò impartibili momento, quod
est supra tempus.

Sed omonymia erit in verbis philosophi, si
impartibile temporis antea momentum tempo-
ris, nunc impartibile supra tempus, & tempore
melius dixit. Ergo philosophus de primo egit
impartibilis modo, qui in quantitate considera-
tur: nunc de altero dicit, quo non quantitate, sed
forma impartibile quidpiam nominatur. For-
mam autem duobus modis interpretari licet: aut
speciem & integram naturam, siue ex materia &
forma, siue ex genere & differentia constantem;
vt hominem & equum, vel etiam indiuiduum
hominem aut equum. Aut formam solam, siue
immaterialem, abstractã, & simplicem, siue ma-
teriæ actū. Non solum enim forma ipsa per se cõ-
siderata simplex natura est; sed etiam ex materia
& forma genere & differentia coalescit vnâ
quæpiam essentia, quæ simplici definitione
ac notione continetur. Prior interpretatio The-
mistij fuit, posterior Philoponi, Simplicij, Auer-
rois, Alberti, sancti Thomæ. Nam etsi species
quoquo modo in indiuidua plura diuidi videat-
tur; verè tamen nulla diuisio est, cum in singulis
tota sit eius natura, omninoque speciei notio
impartibilis est; speciemque inanimam, quam pro-
priè speciem nominamus, atomum dicimus; at-
que in generum diuisione iubebat Plato in ea
quiescere. Verùm nec generum natura dissimi-
lis. Hæc per eam, quæ prædita sunt potestate,
quatenus communes pluribus naturæ sunt, in
plures quidem diuidi species existimantur; at
natura tota in singulis speciebus continetur.
Omnes quippè animalis species substantiæ sen-
tientes sunt; non minus, quàm homines singu-
li rationalia animalia sint. Illa est natura generis,

Natura
quali-
bet im-
partibi-
lis est, &
impar-
tis in in-
telligi-
tur.

Diuidibile in

aut nullo modo, vt spiritalis forma; aut ex acci-
 denti solum, vt ea, quae materialis, quanta, & co-
 tintia est, dicendum supererat, quemadmodum
 ea intelligatur. Neque hoc minus numeri ac
 multitudinis formam comprehendit; quoniam
 vt coniuncta, ita & deiuicta materiae quantitate
 forma euadit ex accidenti quanta: nec minus à
 deiuicta, quam à coniuncta separata impartibilis
 erit numeri forma. Alteri, quod proximè sequen-
 tia verba, quibus de quanto & diuiduo ex acci-
 denti loquetur, maxime videntur ad formam per-
 tinere, quae materiae quantitate efficitur ex ac-
 cidenti quanta. Sic enim habet.

TEXTVS.

*Κατὰ ἀναλυτικὸν δὲ, καὶ ἕξ ἢ ἀνάστα ἀναστὰς, ἢ ποτὲ,
 καὶ ἐν τῷ χρόνῳ, ἀλλ' ἢ ἀδυναστεύει. ἰκέρει δὲ καὶ τῶτος π
 ἀδυναστεύει.*

*Ex accidenti verò, & non quatenus illa partibi-
 lia, quo intelligit, & in quo tempore: sed qua-
 tenus impartibilia. Inest enim & his aliquid impar-
 tibile.*

COMMENTARIVS CX.

Obscura verba interpretationis multiplicis
 fuerunt causa. Illud constat, inchoatam ex-
 plicationem absolui, quomodo impartibile se-
 cundo modo dictum intelligatur. Sed Themis-
 tius mentis notiones & tempus, quo ea intelli-
 guntur, interpretatus est ex accidenti partibilia
 dici propter voces; quae sensim & cum tempore
 pronuntiantur. At nec de vocibus mentio vlla;
 nec solum propter voces, sed & propter mate-
 riam cognosciturque virtutem ex vno in aliud
 progredientem partibiles notiones euadunt.

Philoponus ergo triplicem aliam expositio-
 nem fecit. Prima fuit, materialem formam ex ac-
 cidenti vt impartibilem intelligi: quia eum par-
 tibilis verè sit, ex accidenti impartibile habere di-
 citur; quod de foris accedat illi vnitas, dum im-
 partibili animae parte, quae intellectus est, intelli-
 gitur. Vt haec sit verborum sententia. Si intellectus
 materiales formas impartibiliter, vt dictum est,
 intelligit; id ex accidenti est: (non quatenus illa
 impartibilia) hoc est non sua natura.

Altera, formas impartibili, tum tempore, tum
 animae facultate, ex accidenti intelligi; quod ipse
 non per se, sed ex accidenti sunt impartibiles.
 Quare et si intellectus sua natura habeat, vt im-
 partibiliter intelligat; ex accidenti tamen im-
 partibili intelligitur; quoniam ipsis intellectibili-
 bus accidit esse impartibile ex accidenti.

Tertia; illud (quo intelligit) phantasiam signifi-
 ficare, quia intellectus ad intelligendum vtitur.
 Hanc verò parte quadam & vt phantasia est, im-
 partibile habere contiuitur; quia priores typi
 à posterioribus non delectur. Ex accidenti tamen
 partibilem esse; quoniam in subiecto partibili est.
 Sicut & momentum per se impartibile est, ex ac-

Accidenti partibile, quia in tempore partibili est.
 Sed quamuis haec ex accidenti partibilia sint, ea
 tamen accipiens intellectus vt impartibilia sunt,
 materialem formam intelligit; & ideo impartibi-
 bili tempore & impartibili phantasia intelligit.
 Atque in his fortasse inquit Philoponus voluisse
 Philosophum affinitatem & similitudinem pha-
 tasiae ac materialis formae ostendere; quod ambae
 partibiles ex accidenti sint. Adde & temporis
 quippe hoc quoque ex accidenti partibile esse
 dicitur.

B Verum in his Philoponus tum accipit falsa, ne-
 que vt par est de formarum natura sentit: tum pu-
 gnantia loquitur. Nam vt nullam hic mittam
 phantasia mentionem esse: neque illud (quo in-
 telligit) accommodare de illa exponi. Tum quia
 proprie id, quo intelligimus, intellectus est, aut
 intellectio ipsa: phantasia verò id est, quo imagi-
 namur, rerumque simulachra fingimus. Tum quia
 haec (quo intelligit & in quo tempore) antecede-
 rentibus illis respondent (& impartibili tempo-
 re intelligit, & impartibili animae) vbi impartibi-
 le animae non phantasiam, sed intellectum Philo-
 pono, ceteris serè intellectionem ipsam signifi-
 cauit.

C Sanè falsum est materiales formas per se par-
 tibiles esse, ex accidenti impartibiles: contraque
 profus res habet. Et per se suaque conditione ac
 natura impartibiles sunt, si à materia & quantita-
 te considerentur abiunctae (quippe nō alia ob cau-
 sam spirituales reque abiunctae formae impartibi-
 les sunt) ex consortio autem materia, quae quan-
 titatem & extensionem habet, partibiles ex ac-
 cidenti euadunt. Pugnantia verò loquitur, dum an-
 tea quidem materialem formam per se partibi-
 lem, ex accidenti impartibilem dicit; post verò
 phantasiam addit ex accidenti partibilem esse,
 quod in subiecto partibili sit: nam & forma in-
 quit ea est ratione partibilis, hoc est ex acciden-
 ti, quia in subiecto partibili est. Et rursum post;
 voluisse Philosophum phantasiae materialisque
 formae affinitatem, ac similitudinem ostendere,
 quod ambae sint ex accidenti partibiles. Alioqui
 si ita non sit, quatenam tandem affinitas, quae simi-
 litudo?

D Auerroës igitur intelligendam formam & tem-
 pus, quo intelligitur, ex accidenti partibilia dici
 exposuit; non quatenus talia sunt, sed quoniam
 verumque per se impartibile in partibili existit;
 forma in magnitudine, momentum in tempore.
 Ceterum neque intelligimus forma; vt id (quo
 intelligit) formam significare possit, quae id po-
 tius est, quod intelligitur: sed intellectu aut intel-
 lectione intelligimus. Neque de intellectu nunc,
 sed de intellectione & tempore sermo est. Quippe
 vt Philopono quoque diximus, illud (quo in-
 telligit) id ipsum est, quod paulo ante (impartibi-
 li animae) dixit: quod ipsemet Auerroës impartibi-
 lem intellectionem interpretatus est.

E Quid igitur sanctus Thomas? Partes formae ex
 accidenti partibiles intelligi voluit. Et si enim ipsa
 per se in impartibili intelligatur, aliquam tamen
 in partibus diuisionem subit, quas ex accidenti
 intelligimus; non vt partibiles sunt, sed quatenus
 in illis etiam diuisis ipsa est impartibilis forma,
 quam impartibiliter intellectus intelligit. Itaque

RRRR. iij

Forma
omnis
pro se
impar-
tibilis.

